

rum, qui ad presentem Dietam festi beati Georgii Martyris nomine vestro venerunt, intelleximus: vos nihil in abolicione huiusmodi male consuetudinis abducendorum Jobagionum tractauisse, optare tamen, vt modum illum, qui inter Regnicolas parcium Regni nostri Transyluanarum observatur, in medio vestri inducere dignemur. Vnde, postquam intelleximus fidelitates vestras ad abolendam malam consuetudinem, que tot malorum causa et origo existit, esse propensos et inclinatos, nos cum Prelatis et Baronibus nostris super hac re diucius tractauimus et cum iisdem ita decreuimus et deliberauimus, vt nullus omnino vestrum cuiuscunque status et condicionis existat, infra trium annorum integrorum spacium, a die exhibicionis presencium inclusiue computandum, alter alterius Jobagiones siue rusticos de bonis alterius ad suas possessiones moraturos abducere audeat atque possit, post lapsum vero huiusmodi trium annorum, si vobis videbitur, talis abductio Jobagionum sine preiudicio vestro de illo Regno commode tolli posse, deliberabimus, tandem si talis, qualis antea fuit, vel alius modus in abductionibus Jobagionum inter vos deinceps observari debeat. Quapropter fidelitati vestre serie presencium strictissime mandamus, quatenus a modo nullus omnino vestrum tempus infra premissum aliquem Jobagionem suum ad alterius cuiuspiam bona moraturum abire permittere, sed neque de aliorum Bonis ad suas possessiones siue bona contra formam premissae nostre ac Prelatorum et Baronum nostrorum deliberacionis recipere, siue abducere presumat neque sit ausus modo aliquali. Si qui vero ex vobis aliquem ex Jobagionibus Nobilis vicini sui impetrare voluerit, id libere faciat, ita tamen, quod dum Jobagio vester de bonis vestris recedere voluerit, eundem pro alio Jobagione libere et sine vlla cunctatione dimittere debeatis, et in hoc nullam difficultatem faciatis. Quoniam alioquin commisimus et presentibus firmiter mandamus Fidelibus nostris Illustri Johanni Coruino, Oppauie et Liphouie Duci, ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, ac Egregiis Vicebanis vestris et Comitibus ac Iudicibus Nobilium Comitatus Crisiensis, vt ipsi vos et quemlibet vestrum ad premissa obseruanda atque facienda per remedia opportuna in talibus fieri solita arcent et compellant auctoritate nostra Regia presentibus ipsis in hac parte attributa et Iustitia mediante. Secus igitur nullo modo facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude in festo beati Urbani Pape. Anno Domini Millesimo Quingentesimo primo.

*(Sigillum Regium appressum.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 111.